



17380

I Mag. St. Dr. P

as

*or stophori Oratio in obitum
etindeae Iryjemski.*

PANEG. et VITAE
Polon. 4^o
N^o. 746.

Biblioteka Jagiellońska

A standard linear barcode consisting of vertical black lines of varying widths on a white background.

stdr0000280

ORATIO

IN OBITVM

Illusterrimi & Amplissimi
Domini

D. ANDREÆ
A PRZYMA PRZY-

TEMSKT, CVRIÆ REGNI
MARESALCI, CONINEN. COVALIEN.
BIDGOSTIEN. &c. CAPITANEL



POSNANIE,
In Officina Ioannis Wolrabj. Anno 1620.

273.



C.R. BIBLIOTHECA
VNIV. MAGELL
CRACOVIENSIS

17380 I

Illustribus & Magnificis Dominis,
A PRZTMA PRZTEMSKIM
D. ADAMO COVALI.
NENSI,
&
D. STANISLAO CONI-
NENSI

C A P I T A N E I S : &c. &c.
DOMINIS COLENDISSIMIS,
fælicitatem.



T Fortunæ honorū, ita virtutis glori-
a paterna, Illuzres & Magnifici DD.
peruenit ad uos hereditas. Quæ cum
terrenis possessionibus longè præstanti-
or atq; excellentior sit, clara nempe e-
ternaq; habetur tum à vobis pro animi vestri: magni-
tudine & celsitate, debita in manes paternos pietate;
prog; vestra Nobilissima Dom^o, inueterata & perpetua
calendæ virtutis consuetudine, omni contentione, in o-
mni vita, tuenda, ornanda & amplificanda erit.
Ac profecto superstite ad auct Genitore vestro, intami-
naris fulgente honoribus, magno eiusdem solatio, ami-
corum.

corumq; omnium laetitia in theatro Reipub. oculisq; Re-
gijs ab unde sapius comprobasti. Fortes creari fulti-
bus & bonis: Nec aquila progenerari imbellem colum-
bam. Pergite igitur, Illustres & Magci DD. magni
spes altera Genitoris, his ad summam virtutem quibus
inceditis gradibus, quâ & laudes Pareteris vestri Ma-
iorumq; vestrorum aquabitis, & digna meritorum ve-
strorû præmia, & à Repub. & à Principe, cuius iā gra-
tia pignus talisti, obinebitis. Hoc autem quicquid ser-
mone meo de diuinis Parentis vestri laudibus adspersi,
non feci consolandi vestri causa, quorum prater eius-
dem nominis rerumq; ex vsu Reipub. gestorum memo-
riam vix consolabilis est dolor; quemq; ego commu-
nem vobiscum mibi esse sentio: sed testificanda moe er-
ga defunctum in Domino, ipsaq; adeo Illues & Ma-
gicas DD. vestras singularis obseruantiae: studioq; om-
niū honorū leniendi desiderij, In hoc nostro communi-
lusto Illes & Magci DD. accipietis humaniter ac beni-
gnō exiguum istud voluntatis in vos meū, atq; viuentis
post funera paternæ virtutis testimoniu: eritisq; nō dege-
neri a parēte vestro ut iam diu capistis erga me animo.

Illustribus & Magnificis
DD. VV.
æternum deuotus

CHRISTOPHORVS BARSKY,
Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Po-
snaniæ & Præpositus Zbaszinen.

ORATIO

In Obitum Illusterrimi & Amplissimi Domini

D. ANDREÆ
A PRZYMA PRZY-
IEMSKT CVRIÆ REGNI
MARE SALCI CONINEN. COVALIEN.
BIDGOSTIEN. &c. CAPITANEI.



CCIDIT PRZTEMSKT,
occidit Maresalcius Curiæ,
iacet exanimis qui multos
iacentes erigebat : caret vita
qui vitæ subsidia calamitosis.
subministrabat : extin-
ctū est lumē splendidissimū
domus Przyiemscia: utinam aut nunquam tū
extinctum fuisset, aut quia extingui aliquando
debuit lucere quam diutissimè potuisse.
Squallent tēpla suā nuper liberalitate restau-
rata & exornata afflantur subditi Patrono
clementissimo destituti, mærent filij parente

A

&

& benefactore extinto. Dolemus omnes
quicunq; illam virtutem humanitatem, pru-
dentiam immortalitate dignam mirabamur:
luctuosum est hoc spectaculum. propinquis,
acerbi patriæ, graue bonis omnibns. Quam-
diu enim boni ciues in Repub. florent, pru-
dentes magistratibus præsunt vigilantissimi
patriæ excubitores futuros casus prospici-
unt: tam diu stat in flore Respub. augetur
dignitas, cadunt vitia, promouentur virtutes,
silent discordiæ, hostium strepitus con-
ticescunt: simul atq; ærarium virorum Rei-
pub. amantium, inuida mors expilare incipit,
sensim omnia squallere incipiunt, marcescunt,
pristino splendore denudantur. Ut enim so-
lis claritate ad nostrum semicirculum acceden-
te amoenissima veris iucunditas pullulare ter-
risq; affulgere incipit fugatur niuum aspe-
ritas. Aquilones Zephyris intemperies acris
serenitate permutatur. alia rerum facies lon-
gè felicior longè iucundior succedere vide-
tur renitent virgulta, explicantur folia, fron-
des vestiuntur, latifundia agrorum reflore-
scunt, colonorum variam amænitatem, & a-
mænam varietatem radij solis illustrant.
Vbi vero eadem se remouere incipit omnia
mærore opprimi campos arrescere, pratorum
viridita-

viriditatem flacessere , siluarum splendorem
immutari , omnium animantium genera fri-
gere à facie niuis pruinæ glaciei, atq; aliorum
nyemis ante ambolorum videmus. Ita in
Republica quam diu claritas magnorum vi-
rorum fulget, tam diu suum cuiq; decus sua
iura Priuilegia , sua res familiaris integra
manet. Simul atq; obscurari incipit inferio-
rum quoq; felicitatem aut penitus interire,
aut insigne detrimentum accipere necesse est.
Verum quia de obitu tanti herois queri licet
reuocare ad vitam eundem non licet, ut ali-
quam cum bonis omnibus consolationis ma-
teriam habere possimus en ego memoriam illius
præclarè factorum mærentibus ob oculos
propono , non quod me iusto verborum ap-
paratu præcellentibus virtutes atq; omnia in
Rempublicam tanti viri merita depingere
posse iudicem, sed quod communi bonorum
mærori aliquid leuationis afferre studeam.
Virtutibus enim illius celebrandis liberis ha-
benis apertisq; eloquentiæ alueis effundere
sese deberet omnis oratorum vis atq; copia;
men nihilominus æquis animis summa diser-
torum ingenia patientur qualem qualem am-
plissimarum virtutum adumbrationem, ad
porteritatis memoriam grata cum recordati-

one transmittere cum præsertim non tam lu-
cem aliquam, rerum gestarum claritati affer-
re contendam, quām potius harum ipsarum
commemoratione animos eiusdem poste-
ritatis ad magnas laudes excitare: si enim
sapienſiſſimi illi primorum ætatum proceres
& à Ioue vt Homerus ait prognat, præcipie-
bant vnicuiq; habere exemplaria grauiſſi-
morum virorum, quibus tanquam præ-
ſentibus, ſpectantibusque omnia in vita
peragerent, atq; non modo apud Romanos
Statuæ, Pyramides, obelisci, coloſſi ad ſempi-
ternam optimè de Republica meritorum me-
moriā erigebantur, verū etiam noſtrorum
hominum plurimi imagines parentum, auo-
rum, at auorum in porticibus ſuis exponebāt,
ſupra mensas figebant, in cubiculis colloca-
bant, in pectoribus deniq; appenſas circumfe-
rebant, quibus cum omnia præclara facta ve-
luti clavo trabali in animis defigerent. Te-
te appello Boleslae vladislai primi qui ima-
ginem patris tui in aurea lamina cæſtro excul-
ptam ſemper in collo geſtabas, & quoties in-
cam aciem oculorum conuertebas, toties col-
lachrymatus ad illius te diuinias virtutes imi-
tantum excitabas. Excitabunt ſpero inere-
dibiles Przyiemſci, viſtutes plurimos, & à
flagiti-

flagitiorum naufragio, ad pietatis portum re-
uocabunt. Quis enim eius virtutibus non
excitetur: qui cum amplissimam gloriæ pos-
sessionem sibi a maioribus relictam videret,
eam non modo sartam, tectam conseruare sed
multò etiam illustriorem reddere omni animi
studio, & cōtentione adnibatur. Ac primū
pubertatis annos emensus, reputabat secum,
accurratè magnum esse illustri prosapia or-
tum: sed maius proprijs virtutibus antiquo
splendori nouam etiam lucem adiūgere. Quo-
circa contulit se in primis in Italiam fontem,
vel vt verius dicam Oceanum omnis elegan-
tiæ, & sapientiæ, non propter viridiorum
amœnitates, hortorum delicias, fontanarum
spectacula, collium prospectus, apricatio-
nes vallium, suaueolentium herbarum, cin-
cinos, exanguium picturarum lineamenta,
vmbrosos saltus, algentes aquarum scatebras,
varios Labyrinthorum anfractus, aut cæte-
ras lenociniorum illecebras, quibus parum
considerata quorundam admiratio vanitati,
quām veritati accluior detinetur, & meliore
æui partem sine ullo emoluimento, plurimo
autem nōumento deperdit, sed leges, mores,
instituta, matura consilia, Reipub. formas, ad-
ministrationesq; considerabat: & cum sem-

per in virtutum pulchritudine animum im-
mersum haberet, tum omnem diuini sui inge-
nii vim ad comparandam literarum gloriam
comparabat. Frustra Herculem tuum iacta-
bas antiquitas: ille enim à longè volupta-
tem obtutibus suis obiectam repudiauit: hic
in medijs voluptatum illecebris quibus Italia
superabundat nihil prius, nihil maiori fer-
uore sibi discendum putabat, quām vt cor-
pus laboribus in Republica sustinendis, ani-
mum, verò omni virtutum generi assue face-
ret, princepsq; animi facultas ita instituere-
tur, vt dignosceret quid iustum, quid iniu-
stum, quid honestum, quid honestati contra-
rium quid Deo, Regi, parentibus, amicis, Rei-
publicæ, quid deniq; ciuibus & legum aucto-
ritati deberet, adeo vt omnium æqualium,
in flore vernantis ætatis animos in sui admira-
tionem prouocaret. vtq; in pubescenti se-
getum virilitate certa spes futuræ messis so-
let apparere: ita in illa generosi adolescentis
ætacula apparebat, quām vberquam fæcūda
in eiusdē olim āimo virtutū messis futura esset.
Nec sefellit equidem prouectioris ætatis ex-
pectationem: ubi enim ex nobilissimo scientia-
rum emporio, magnā suorum lætitia redijt,
atq; in augustissimam publicæ dignitatis au-
lam

iam à Serenissimo Rege vocatus est, quid
tum humile? quid mediocre? quid, quod
non certam generositatem redoleret cogita-
uit? & cum verum iter gloriæ in pubertate,
adhuc cognosset, carum esse ciuem, laudari,
coli, diligi, bene de Republica mereri in hoc
genere laudis ita excelluit, ut difficile esset in-
ternoscere, utrum ille plus pulcherrimas ani-
mi dotes diligeret: an vero ab universis ordi-
nibus ob earum amorem diligeretur. Gau-
debant omnes medijs, summi, infimi, Incem-
quandam nouam Reipublicæ oboriri, omina-
bantur illa præcipua Reipublicæ lumina ma-
gnam olim ex adolescentiæ patriæ gloriam na-
scituram. Tanta iam tum erat grauitate mo-
rum tanta frontis auctoritate, ut illo adole-
scente Respublica non secus atq; Roma Sci-
pione niti posse videretur. Non dubito omni-
um hunc de eo sermonem fuisse: breui fore
in aula Serenissimi Regis, quem virum omnes
intueantur, ad eiusq; virtutis imitationem
cæteri certatim se se componant, Atq; eo-
rum laudatissimus adolescens fecellit nemini.
Quis enim suffragiis aliorum ad Rei-
publicæ splendores tendentem vidi? Quis
voces? quis fauores prensantem? quis cunicu-
los instruentem deprehendit? nouerat ille,
probè

uerat, nunquam virtutem debito præmio de-
raudari Quapropter non tam honoribus
vt, quām illis dignus censeri peroptabat. Vi-
dit Rex circumspectissimus adolescentem
iam virtutem, ac idcirco vt cæterorum quoq;
studia ad similem laudis possessionem excita-
ret, ornatam esse voluit Magistratu atq;
non tam virtutem Magistratu quām magi-
stratum virtute exornauit. Cognouit
Capitaneus Coninensis quantus sibi defen-
sor, & patronus datus fuisset. Senserunt Ec-
clesiarum administri singulare contra male-
uolorum audaciam propugnaculum. Vidi-
mus in annalibus maiorum Herculem terribi-
leim fuisse flagitious hominibus: sed in annalib-
us, Legimus apud Moralis Philosophiæ my-
stas orbē monstros purgauisse, angues duos ad-
huc in cunis suffocasse, a prūm Frymanthe-
um occidisse: Cecropas profligasse: Ne-
ineum Leonem obruncasse, aurea mala re-
portasse: Sed legimus: Przyiemscium non
legimus, non in annalibus vidimus, sed
nostris oculis aspexim⁹ quām grauem, quām
fortem, quām terribilem se facinorosorum
monstros præbuerit. Quoties enim aliqua
maleuolorum temeritas fortunis inferiorum,
iacturam afferet, easq; per cuniculos subuer-
tere

tere vellet toties clava prudentiae erecta vo-
ce, gestu, vultu, aduersarios perterrituit. Tre-
mebant monstra illa horrenda ad conspectum
hominis grauissimi, & cum in absentia ru-
dem plebeculam tentarent; ad illius augustam
personam vix respirare potuerant. Nec tamē
illa seueritas Phalaridis crudelitatem redole-
bat, sed ita temperata ita multis humanitatis
cōdimētis moderata fuit, ut illi ipsi quorū au-
daciæ constanter resistebat, æquitatem eius
iudicio etiam inuiti ascriberent. Quid di-
ceres tum diuine Plato? quibus acclamatiōni-
bus princeps & vnicē sapientiæ ocelle for-
tunæ populi Poloni gratularere? si videres
hominem cum natura sua moderatum: tum
verò etiam doctrinæ: atq; optimarum arti-
um studijs nobilitatum, ita se in illa potestate
continuisse, vt nulla alia potestas ab illis qui-
bus præfuit (profuit verius dicam) deside-
raretur. Felices tum demū beatasq; Resp. fo-
re vaticinabare si aut docti eas regere cœpi-
sent, aut qui eas regerent omne studium in
doctrina & sapientia collocassent. Fecerat hanc
coniunctionem ciuiis patriæ amantissimus
potestatis & sapientiæ, atq; ubi manum, ibi
oculum quoq; præsentem esse volebat. O
felicem illam præfecturam quæ prima lucem

B

hanc

hanc aspexit O beatam sortem illorum hominum, qui primi faciem illam pietatis, & grauitatis plenissimam intuebantur, qui non Dominum, sed patrem, non Præsidem, sed Patronum, non obseruatorem, sed conseruatorem suum experiebantur. Non enim ille potest aitatem suam ad opprimendas subditorum fortunas: sed ad reprimendos malorum conatus extendebat. Nihil ad consilium cogitationum, suarum admittebat, quod non suorum subditorum commoditatem spectaret. Dicebat enim saepe eum qui socijs, qui ciuibus, qui subditis, qui multis etiam pecudibus præfit, eorum quibus præsit commodis utilitatibus seruire debere. In re familiari curanda & maxime attenus, & tamen maximè liberalis. Nam & facultates suas sibi ut sufficerent conferuare studebat, & sumptus vires exigebat per amplos faciebat. Loquitur templū Coninense. Loquuntur altaria mirifico splendore exornata. loquuntur asarota, & vertices Ecclesiæ Goricensis, cuius ille fastigia, iam penne vetustate exesa, ænea lamina super induci curauit. Prætereo frequētes Eleemosinas, taceo de incredibili erga fæcētates Dei studio, nihil dico de occultis eius in pauperes erogationibꝫ Neq; enim ille eo nomine stipē in egenos eroga.

erogabat, ut suæ munificentia præconia per
vicos, & compita iactarentur, inanisq; ostend-
ationis fumi per æra quærerentur. Occulta-
bat hunc thesaurum prudentissimus vir, sed
pieratis flamma occultari non potuit. Vedit
liberalitatis idea, Diuus Nicolaus cuius tem-
plum in Gorka æreo recto operium esse vo-
luit, vedit inquam Diuus Episcopus, & li-
beralitatem noua, multoq; ampliori liberalita-
te compensare non neglexit: inclinavit enim a-
nimum Regis: ut raram huius seculi virtutem
ad cæterorum imitationem altius extolleret.
Hinc Coualien, Bidgostien, Capitanea-
tum, hinc Castellanatum Gnesnensem, illum-
deniq; honorem, ex quo vix iam altius pote-
rat ascendere illa diuina virtus est consecuta.
Accipit Sceptrum Maresalci vir dignissi-
mus, accepit symbolum, regiminis, quod ita
gessit ut si modo illud loquendi haberet fa-
cilitatem, ita procul dubio lacrymis profusis
quereretur. An ego possū, aut non recorda-
ri tui aliquando aut vnquam sine lacrymis
recordari Magne Przyiemsci. Cum enim de te
cogito, cogito de ornamento meo quid mihi
sine te vnquam, aut tibi sine me iucundum fu-
it. Occidisti decus meum, atq; eo tempore oc-
cidisti quo Rex, quo Regnum, quo senatus

tuam operam, & auctoritatem requirebat.
Ita ne iaces examinis qui exanimatos erige-
bas? O infelix diuortium? O infelicem di-
stractionem? Cur ego adhuc subsisto, cur in-
conspectu, tuorum amicorum compareo cur
non non statim effringor, & vna cum Domi-
no extremam omnibus domū non peto? sed
quia rem intellectus expertem ea facultas de-
stituit, ut hæc ita queri possit. Nos qui
possimus iure meritissimo debemus. Do-
cuerunt enim varia huius viri negotia in cau-
sis Reipub. summa cum dignitate peractis
quantum vulnus ordines Regni ex illius obi-
tu acceperint. Docuit legatio ad summum
Pontificem iuxtaq; Serenissimum Ferdinandum
Archiducem, tunc Austriae
nunc augustissimum Imperatorem, quam le-
gationem ita apud Beatissimum Patrem objit,
ut omnes sapientissimæ orationis grauitatem
audientes in admirationem Poloni oratoris
raperentur. Pöpilum apud Romanos ferunt
cum ad Antiochium Regem legatus missus
esset eiq; verbis senatus nunciasset ab Alexandria,
vt idiscederet quā obsidebat: Cum mo-
ras ille traheret virgula stantem circumscri-
psit dixitq; se renuntiaturum Senatu nisi pri-
us sibi respondisset quid facturus esset; quam

ex

ex illa circumscriptione pedem extulisset.
Przyiemski noster non aliqua virgula, sed
incredibili dicendi grauitate, ita animum
summi Ecclesiarum per totum orbem gu-
bernatoris circumscriptis, ut non prius se
ex illa circumscriptione moueret, quam po-
stulatis omnibus assensum præbuerit. Sed
illud super omnia extollendum videretur, quia
non modo causam Reipublicæ egit: verum
etiam ex Oceano meritoriu Christi serua-
toris, cælestiumq; incolarum riuulum in
Poloniam deduci curauit. Cogitauit secum
vir prudentissimus miseras esse humanas pos-
sessions, infelices diuitias, vanissimos auri
atq; argenti aceruos, nisi animus sua felicitate
perfrueretur. Huius vero solius felicitatem
sufficere ad veram beatitudinem. Præclarè
vbi enim nunc diuitiæ Cræsi, vbi Xerxis ex-
ercit⁹, vbi Opalus Antonij, Achates Phyrrhi,
Sardonyches Policratis, vbi muri Babylonis
Vaſtissimi. Magnus Pompeius capitis Pyra-
tis, ac oriente perdomito, imaginem suam non
ære, aut marmore fictam, sed insuetis atq;
exquisitissimis Margaritis in triumpho præ-
ferri mandauit, reliquam triumphi effigiem,
non armæ, aut equos, domitarum genti-
um, non captiuos memorant, aut currus

Phale-

phalerasue, quod vilissimum in illo fuisse cōstat : aurum, gemme, lapides, pretiosi omnia fuere. Inter multa alueum ingentem, & ingentium thesaurorum, ordinē bicolorē spectabat, vndiq; effusa multitudo, ita ut singula, gemmis & singulis constaret, vasa aurea, vestes, statuæ deauratae, & luna quædam solidæ ex auro immensi ponderis, lectissimæ, auræ Coronæ plurimæ magnis & candidis margaritis intextæ. Deniq; mons aureus in quo formæ mirabiles in quadrum ductæ. Cernis ac leonibus & varijs animantium figuris distinctæ : nec non arboribus atq; omni generi pomorum, hortus consitus per ramos aureos vñionibus preciosissimis lucentibus. Vbi ergo nunc illa Pompa ille applausus, acclamations, effusiones hominum ex municipijs & agris ad spectandam vanitatem. Periret non secus atq; umbra instabilis omnis eorum splendor, & inania blandimenta, ipse Pompeius miserabiliter exitu vitam inter amicos inimicissimos terminauit. At noster heros, quamuis rem familiarem non exiguum, collegerat, docuit tamen se non in pecuniæ, sed in Christi meritorum thesauris, spem collocasse. Rediit cum triumpho, & diuinissima illa spolia beneficiorū Dei in templo suorum

rum collocauit. Ingreditur nunc solenni Pom-
pa & triumpho exultationis in Ecclesiam tri-
umphantem: prosequuntur concentu sua-
uissimo, felices illæ animæ, quæ beneficio in-
dulgentiarum, illo autore a sede Aposto-
lica, allatarum, cælestia regna sūt consecutæ,
Occurrit Diuus Nicolaus cum victoriæ insi-
gnibus, procedit Angelorum agmen, osten-
tans Deo præpotenti innumerabilia in ege-
nos liberalitatis argumenta, consalutant de-
fensorem. olim suum bene de Ecclesia meri-
ti Sacertotes. Cum enim ille perpetuum sibi
in vita cerjamen cum nefarijs hominibus pro-
poneret: cum nullum aliud audaciæ genus
magis oppugnaret quam eorum qui in bona
Ecclesiastica inuolabant, ita ut non modo au-
toritate qua satis propter meritorum magni-
tudinem pollebat, maleuolorum conatibus
resisteret, sed proprijs etiam facultatibus per-
ditissimorum libidinem reprimeret Atq; hoc
tam illustri exemplo docuit vsum pecuniæ:
non enim ille pecuniam malum esse existima-
bat ut quidam insani ex prisorum, Philoso-
phorum grege, sed ita ut aurum, argentum,
gemmas, purpas, honores, dignitates infe-
riores animi bonis existimaret, ijsdemq; con-
tra potentiam audacium vteretur In quo con-
sentire

sentire mihi videtur cū sanioris cerebri Philosophis Elisiis enim interrogatus quid sentieret de diuitiarum natura: in hæc verba pro-rupit. Diuitias ego neq; cupio maximas, neq; si mihi darentur, medius, fidius, asper-narer: nam illud auarissimi hoc pusillamini vitium puto. Neq; ego is sum qui opibus credam virtutes impediri, aut suggeri vicia, si à viro bono, & rerum non cupidogubernentur. Nam hæ quoq; cum hominibus inter bonum & malum, sunt mediae & quasi earum, rerum instrumenta homini data, quibus si quis recte ita ut condecet utatur conducunt, si male non earum culpa, sed male utentis no-cent. Quis nisi vesanus ignem accusabit, quod vrbes, arces, oppida, prouincias absu-mat, quandoquidem eo nomine est datus ut epulas coquat, tenebras fuget, vices auxilietur. Sic diuitiae sunt virtutum adiumenta sapien-ti, stulto non nisi vice exitum. Hæc eadem, fuit sententia sapientissimi viri qui non ad luxum, aut ostentationem, sed ad virtutum in-crementa, fortunas suas ruebatur. Quid non-ne idem mecum loquuntur lapides pio delu-bro ad laudem Dei Optimi Maximi in Wi-thowo eriendo comparati. sed o fallaces hominum spes, & inanes saepe contentiones nostræ

nostræ Hæc enim sollicite meditantem &
noctes diesq; huic vni operi defixum mor-
bus grauis & lethifer in lectum proiecit
nec prius suæ acrimoniaz quam vitæ illius
finem fecit. Non possum hic silentio præ-
terire magnam, & verè heroicam in maximis
morbis cruciatibus fortitudinē, cū enim aculei
morborum, per iuncturas corporis discurren-
tes membrorum compages lacinarent quæ
im patientiaz indicia præsetulit Cæteri qui-
dein aut infirmitatis diuturnitate, aut mor-
borum grauitate, ingemiscunt: ille quamuis
satis diurno & acri morbo per totum cor-
pus grassante extimularetur, tamen aliud ni-
hil præter Christum, seruatorem suum ut in
pectore ita in ore habuit, & quoties vox
languentem deficiebat, imaginem Christi
cruci affixi intuebatur, & quemadmodum
per omne vitæ curriculum: frequentissi-
mus ad sacras Christi mensæ epulas accessit
ita ex huius vitæ statione discessurus sacris
se Christianis armavit, ac tum demum, mali-
gnitate morbi prævalente circumstantibus
amicis extremum vale dixit. Sic cecidit cheu
Przyiemsciaæ Domus ornamentum. collapsa
est columna afflictionis, exaruit Nilus pau-
perum obiit assertor publicæ tranquillitatis,

vindex iustitiae, fulcimentum innocentiae,
patronus Ecclesiarum, decus Reipublicæ,
A miserunt templo suum restauratorem, sub-
diti dominum, clementissimum ciuitates pro-
tectoriem acerrimum, musæ Mecænatem, li-
teræ amatorem. Quoniam vero in huius-
modi casu atque in summo, ac in euitabili fa-
to, consultissimum est debitumque officij Chri-
stiani hominis, ei vitam precari æternam cui
restituere caducam non licet, quavis spem ma-
gnam de illius inter cœlestis Hierusalē incolas
felicitate concepiimus: tamen quia aliter de
mortuo mereri non possumus; eidem
perpetuae beatitudinis frui-
cionem votis omnibus
apprecemur.









